

HORATI ANTONI BOLOGNA

INDOEUROPAEAE ET SEMITICAE LINGUAE
SUNTNE REAPSE ADVERSAE?

Quam multi in annos edantur libri, non dubito, quin doctus quoque quidam sciat vir, qui nisi amici vel auctores ipsi de illis voluminibus, quae ad quandam disciplinam provehendam utilia videantur, eum certiores faciant. Cum autem multum temporis vel in tabernis librariis vel in bibliothecis terat, procul dubio illos ignorat libros, quamvis mentem ditare, virtutes alere, animum ornare cupiat. Nihilo minus, occasione data, illa profecto prudenter ac sapienter selegit volumina, in quibus se aliquid novi et utilis inventurum sperat. Ceterum, uti constat, non omnes libri omnes doctos iuvant viros. Quam ob rem magna novi sunt cura libri seligendi, si quis reapse quod iter scientia et vestigatio conficiat hac scire velit tempestate.

Ad hanc symbolam conscribendam occasionem praebuit tam parvus quam praecipuus utilisque liber, quem Iosephus Ieropoli¹ scripsit et hoc anno mense edidit Maio. Praeclarus enim auctor, cum tanti ingenii fructum donaret, me oravit atque obsecravit, ut quid ipse, quamvis rei penitus sim ignarus, vel de libello vel de argumentis sentirem, apertis scriberem verbis. Hic igitur non sum de libello acturus sed de praecipuis illis argumentis et propositis, quae maxima cum sagacitate ac peritia sunt in libello agitati.

1. Quae fuerit libelli conscribendi occasio et causa

Haud multis abhinc diebus, ut supra dixi, est mihi tam brevis quam praecipuus allatus recens et nitidis ectypis liber impressus, cui, uti, lector, in annotatione invenis, *Giovanni Semerano e la dicotomia indoeuropeisti-semitisti* index. Praeclarus enim auctor, cum inveniret me semel iterumque Ioannis Semerano opere usum, ea fisis spe, fore ut mihi gratum faceret, libenti animo ad me volumen misit ipse. Quod si non fecisset, profecto tam doctum libellum ignorassem, quamvis in postremo libro, quem nuper ad finem adduxi, haud raro ingens et doctum Ioannis Semerano opus adhibuissem.

Cum autem Ioannis Semerano nomen legerem, iucundo sum statim sensu raptus, quoniam tam doctum et eruditum virum, Ioanne Giraldis intercedente, ipse a. MMIII Florentiae mirabundus vidi atque acri animo audivi.

¹ G. IEROPOLI, *Giovanni Semerano e la dicotomia indoeuropeisti-semitisti*, Lavis (Trento) 2018.

Hic vero mihi, tam multis elapsis annis, iucundum ac doctum cum tanto viro colloquium cursim referre liceat. Quaedam verba adhuc memoria teneo, alia contra, cum singillatim referre possim, ne oratio longior videatur, nullo tamen ordine mutato, arbitrato meo exponam.

Ioannis autem, cum paucis ex verbis comperuisset me Mesopotamicos mythos eorumque tactus ad deos hoerosque Graecos conficiendos et constituendos plurimum valuisse pro certo ducere et in illos antiquissimos populos, qui vicinas orientis regiones coluerunt, mentem adsiduo vertere, mecum de vetustissimis illis gentibus et linguis est libentissimo collocutus animo. Cuius colloquii memoria, tam multis elapsis annis, iucunda adhuc videtur et grata, quoniam populi illi, quorum vestigia, innumeris effossionibus factis, nullus doctus vir amplius negare audet, velut viventes resque suas cottidianas agentes, tanto viro loquente, meis ipsius oculis fingebam; suavibus insuper verbis, quae velut mel animum mulcebant, antiquos illos viros secum cum in urbis viis tum in agris loquentes et currentes faciebat. Quam multa brevi temporis spatio didicerim, nullus est sanus vir, qui negare audeat vel possit. Quanto autem ardore, quanta insuper animi vi, venerandus ille senex me sit prope sedentem atque audientem hortatus, ut una cum Indoeuropaeis linguis in illas praesertim mentem verterem, quas antiquae Mesopotamiae gentes multa per millennia adhibuerint. «Quorum vestigia», ait, «quae alii alio nomine vel modo nuncupantur, adhuc vivunt nobisque amplos aperiant thesauros, quos adhuc intactos servant. Ceterum omnes orbis terrarum linguae, vel antiquae vel recentes, vel vivae vel mortuae quae dicuntur, omnes hominibus utiles sunt, ut sui similibus quae sentiant, quae velint, quae cupiant cum verbis tum scriptis patefaciant. Tu profecto Homerum, Hesiodum, Archilochum, Vergilium, Lucretium, Horatium et innumeros alios poetas magna, nec immerito, admiratione afficis. Sed ante praeclaros hos viros alii quoque, in illa regione, Mesopotamia quae dicitur, floruerunt, quorum nomina nos omnino latent. De mulieribus, quae optimis ferunt rebus imbutae, taceam oportet. Enheduanna tantum, ceterarum omnium longe clarissima et antiquissima poetria, quae III exeunte millennio a. Chr. n. Ur, in magna Chaldaeorum urbe, vitam degit et prima suo ipsius nomine carmina signavit. Una est hac saltem tempestate quae nominetur digna, ut Achadorum cultus atque humanitas, doctrina atque eruditio quam praecipua fuerit, scias».

Quae cum diceret, alter videbatur vir. Nam brevi temporis spatio, senectute seposita, iuventutis vires in lucem necopinato profert, indomitum animum ostendit et pugnacem, rarum ingenii acumen praebet. Cum autem Achadica memoret verba, quae totam fere Europam inter III millennium a. Chr. n. velut amnis imbris auctus inundaverunt, repentinis oculi sunt motibus in-

tenti, animus nova videtur renovatus vi, vox denique, firma facta et melliflua, inter parietes libris opertas resonare incipit. Me, in doctum sermonem intentum, ex improvise hortatur, ut mentem in Homerum et in illas fabulas, quas de tanti atque antiqui poetae nominis origine et significato Indoeuropaeorum linguarum cultores narrant ac docent, parumper vertam. «Quod ad Homeri nomen pertinet», non sine magistri timore et maxima in senem reverentiam incipio, «nihil est certi ab antiquis ipsis doctis traditum. Ceterum antiqui quoque vestigatores ea omnia, quae de tam claro viro traderentur, sunt se fabulosa omnino putare professi. Nihilo minus de Homero, exeunte saeculo VI a. Chr. n., aliquid Theagenes Rheginus scripsit. Insequenti autem saeculo, de eodem poeta cum Stesimbrotus Thasius tum Antimachus Colophonius egit, sed accuratis investigationibus perfectis, nihil nec novi nec certi invenerunt». Senex interea leniter arridens, me hortatur, ut cetera pergam. «Recentissimi vestigatores Homerum nec nomen nec cognomen esse censent; sed in insula Creta se poetae nomen, Dorica forma exaratum, Ὅμηρος, invenisse sustinent. Cnosii autem, quod praeclarum insulae oppidum fuit, est quaedam tabella argillacea inventa, in qua est *o-mi-ri-jo* verbum scriptum. Quod tamen verbum, ut patet, non ad Ὅμηρος nomen, sed ad ὄμβριος, id est *pluvius* aut *pluvialis* pertinet. Sed ex antiquis doctis quidam Ὅμηρος nomen ab ὀμηρεῖν, i. e. *convenire*, alii ab ὁ μὴ ὄρων, i. e. *caecus*, alii denique ab ὄμηρος, i. e. *obeses*, originem trahere docebant. Nos plerumque illos sequimur auctores et nihil novi addere audemus»².

«Tu vero», ait senex animi candore delectatus, «quid de nomine sentis?».

«Nescio», voce submissa respondi. «Sed neminem verum protulisse pro certo habeo. Cetera ignoro, quamvis nomen illud a quadam antiqua orientis populi dialecto originem trahere puto; sed quae sit, nescio».

«Callidus videris philologus», inquit senex ex improvise cogitabundus factus. «Aures parumper erige, quia multa et utilia discere poteris. Nihil Homeri nomine facilius. Ὅμηρος enim nomen antiquae Babyloniorum linguae *zammeru* verbo perfecte convenit. Quo quidem verbo perantiqua Babylonia gens *cantorem* nuncupabat. Ὅμηρος nonne praecipuus et omnium longe clarissimus videtur cantor?»³.

Hic vero, tanti magistri sermone nec non aegre praeceptis omissis, ad Iosephi Ieropoli librum redeam oportet, ne magistri memoria me longius ducat

² G.A. PRIVITERA – R. PRETAGOSTINI, *Storia e forme della letteratura greca*, Milano 1997, p. 29; A. VENERI, *Omero*, apud AA. VV., *Dizionario degli scrittori greci e latini*, Milano 1987, p. 1425 s.

³ Eadem verba postea inveni apud G. SEMERANO, *Le origini della cultura europea*, vol. I, *Rivelazioni della linguistica storica*, Firenze 1984, p. 248.

neu doctum opus parvi vel nihili ducere videar ipse. Auctor enim, aurea illa brevitate usus, hac quidem tempestate, qua nullus fere doctus, ut videtur, quo cum Indoeuropaeorum tum Semitarum linguarum studiosi ac vestigatores pergant mentem vertit et quomodo alii aliis obviam eant secum quaerit. Nullus insuper est, qui proponat et doctos hortetur viros, ut conventum edicant et quod commune sit inter colloquia exponant. Nullus linguarum vestigator est, qui more et consilio suo servato, aliquid utile atque efficax ad novum ingrediendum iter doceat.

Quam ob rem, cum pro certo haberet Ioannem Semerano novum ingressum iter, quod ad innumeras difficultates solvendas idoneum duceret, Iosephus Ieropoli, antiquarum linguarum quam qui maxime peritus ac doctus, ad nonnulla, eaque praecipua, consilia patefacienda brevem scripsit ac vulgavit librum. Iosephus enim, cum animum in linguarum, Indoeuropaeae quae dicuntur, mentem diu verteret et nullum prorsus auxilium ad quaedam dubia solvenda inveniret, magno cum adore ingens Ioannis Semerano opus ita legit eoque captus est, ut praeclari viri sit, nec immerito, apostolus factus et nuntius.

2. De Indoeuropaeorum linguarum studio eiusque origine

Indoeuropaeae a doctis viris innumerae illae appellantur linguae, quibus homines sunt in iis usi regionibus, quae ab India usque ad occidentem Europae partem pertinent. Indoeuropaeum autem nomen est a Francisco Bopp⁴ ineunte saeculo XIX primum adhibitum, quo clarissimus ac doctissimus vir nonnullarum linguarum affinitatem ostendebat. Hic vero notem oportet duobus annis post praecipuum librum, qui erat iam a. MDCCCXIV confectus, esse a Rasmus Christiano Rask⁵ editum. Per hoc quidem opus doctissimus vir, Fridericum Schlegel secutus, qui formarum tantum consequentiam posse linguarum affinitatem probare docuit, Sanscrita dialecto relicta, linguas Germanicas, Celticas et Balticas nec non Latinum et Graecum affines esse palam ostendit. Nihilo minus, multis, et iis praeclaris, omissis viris, Franciscus Bopp, quod ad Indoeuropaeas linguas pertinet, non solum grammaticae

⁴ F. BOPP, *Über das Conjugationssystem der Sanskritsprache in Vergleichung mit jenem der griechischen, lateinischen, persischen und germanischen Sprache*, Frankfurt am Main 1816.

⁵ R. C. RASK, *Undersøgelse om det gamle Nordiske eller Islandske Sprogs Oprindelse*, Copenhagen 1818.

comparatae inventor, sed glottologiae quoque vel linguarum scientiae conditor est, nec immerito, putandus.

Omnes ideo illius et insequentis aetatis docti ad hunc exitum pervenerunt: eas omnes linguas, quae sensim inveniebantur et praecipuas ob proprietates Indoeuropaeae nuncupabantur, ab antiquissima dialecto, quae est Indoeuropaea dicta, originem profecto traxisse; qua vero in orbis regione eam homines adhibuisse se adhuc nescire; quomodo in tam longinquas et diversas provincias pervenissent, se investigaturos promississe.

Attamen, quamvis Indoeuropaeum nomen sit inventum, illius origo multo antiquior videtur: nam Philippus Sasseti⁶ Florentinus, exeunte seculo XVI, ad piperis mercaturae curam sumendam, in Indiam contendit. Qui, optimis rebus institutus, cum doctos audiret Indos in pauca verba Sanscrita mentem vertit atque verbis Latinis, ut in epistola ad Bernardum Davanzati missam, similia⁷ esse animadvertit. In alia quidem epistola ad Petrum Vettori, a. d. v Kal. Febr. a. MDXCV ab India data, Sanscritam linguam, qua docti tantum utebantur Indi et investigationem et scientiam significabant ac doctrinam, illi longe dissimilem esse linguae, quam cottidianis rebus vulgus exerceret, doctus Florentinus certiore facere non dubitavit. Qua quidem in epistola sagax et argutus mercator Sanscritam linguam pulchram esse et suavem nec non innumeris et praecipuis grammaticae normis uti; eandemque denique ad linguae orisque motus exprimendos LIII elementis constare patefecit. Quibus summatim breviterque prolatis, nullum est dubium, quin Philippus, quamvis in quaedam incidisset menda, se haud leviter illos linguae Sanscritae sonos attigisse ostenderit.

Insequentibus autem temporibus una cum mercatoribus in longinquam Indiam, Christianum nuntium praedicaturi, paganorum quoque doctores contenderunt, qui amplam linguae tum Latinae cum Graecae notitiam habebant et prudentiam. In quibus, et iis praeclaris, sacerdotibus omissis, Robertus de Nobili⁸, Montis Politiani natus, principem obtinet locum. Qui nobili loco ortus, Societatis Iesu sodalis factus et optimis rebus apud claram illam Societatem institutus, Indiam a. MDCV pervenit, ubi sanctum evangelium ob brachminorum similtates et contemptus, quoniam Christiani pauperes tan-

⁶ E.M. MARCUCCI, *Lettere edite e inedite di Pilippo Sasseti raccolte e annotate*, Firenze 1855; J.-C. MULLER, *Early stages of language comparison from Sasseti to Sir William Jones (1786)*, «Kratylos» 31, 1986.

⁷ HOBSON-JOBSON: *The Definitive Glossary of British India*, curantibus H. YULE e A.C. BURNELL, Oxford 2013, p. 454.

⁸ M. FALORNI. *Senesi da ricordare. Brevi cenni sulla biografia e le opere dei principali personaggi storici senesi dalle origini ai nostri giorni*. Siena 1982.

tum et miseri fiebant, magna cum difficultate est diffundere conatus. Cum autem irritum divinum mandatum videret, doctorum nobiliumque lingua et scientia cognita nec non moribus et institutis sumptis, se brachminum esse simulavit. Quo facto, innumeros Indos ad Christianam fidem duxit, sed praefecti et episcopi eum hereticum fecerunt. Ideo doctissimus sacerdos, ad idololatriae crimen refellendum, commentarios Romam misit, in quibus vel de lingua vel de litteris Sanscritis multas et praecipuas notitias rettulit. Sed opus, diu in Societatis Iesu archivis pulvere opertum, est doctis ignotum servatum.

Quibus de Indoeuropaeorum linguarum studio et notitia prolatis et innumeris viris omissis, qui suis operibus et investigationibus earum scientiam longe proveherunt, ad Iosephi Ieropoli librum redeam oportet et de recentissimis inquisitionibus, quae ad antiquissimam Indoeuropaeam linguam pertinent, summam agam et referam iter, quod sunt periti viri ingressi, ad ipsam fere hominis generis ducere originem. Ideo nullus praeterit dies, quin doctus quidam vir novum Indoeuropaeae linguae sonum inveniat eundemque praecipuum ducat inventum, quamvis compertum habeat nullum illius antiquissimi sermonis exstare documentum nec ullum umquam loquentem audiverit virum. Quo factum est, ut maximi rei periti sensim ad illam quoque pervenissent aetatem, quae est neolithica appellata. Quamvis penitus ignoretur quibus illi antiquissimi homines sonis usi sint, obstinate tamen in antiquiorem pergunt aetatem ea fide spe, fore ut se aliquid inveniant novi. Neminem enim latet rem geneticam, quae est admodum utilis ad hominum vitam eorumque migrationes statuendas, ad antiquas detegendas linguas minime idonea putatur.

Sed recentissimas linguas, in Mesopotamicis regionibus saeculo XIX fortuito tantum repertas, omnino respuunt eosque libenter damnant viros, qui curiositate in illas mentem et animi intentionem vertant. Quod, uti constat, absurdum videtur, quoniam omnes, qui in linguarum Indoeuropaeorum linguarum studium incumbunt, obstinata mente negant quod ante omnium oculos elucet: antiquissimas Semitarum linguas, quae usque a IV a. Cr. n. millennio in Mesopotamia floruerunt, ad multas linguas formandas, ditandas ac provehendas multum valuisse. Ceterum haud pauca adhuc exstant verba, quarum nec origines nec significatus Indoeuropaerum linguarum periti enodare valent. Quae, ut Ioannes Semerano fusius luculentiusque docet, ex antiquissimis Mesopotamicis linguis originem trahere nullo sine dubio videntur, quia multi nautae, commercii itinera secuti, illis quidem temporibus in Hellada primum, tum in Italiam et in occidentes Europae regiones pervenerunt et linguam praesertim, quae ad mercaturam necessaria videbatur, mores

quoque et instituta et religionem secum contulerunt. Quae omnia sunt necessario istis peritis consideranda, si linguas illas, Indoeuropaeae quae dicuntur, aequis modis inquirere et vestigare cupiant.

3 De Semitarum linguis eorumque litteris

Hic vero de Semiticis linguis eorumque litteris breviter me sanum agere consilium iubet, nec vero quantum Hebraeorum lingua et religio, mores et instituta ad Europaeorum gentium cultum constituendum iuverit recta rei conscientia me praeterire sinit. Semiticarum autem linguarum descriptionem a. DCCCLXXXI Augustus Ludovicus Schlözer⁹, perantiquum Genesim librum secutus, primum fecit. Sed doctus vir quam multae, et eae praecipuae in regionibus Mesopotamicis antiquitus floruisse linguae, penitus ignorabat, quoniam vetustissimae civitates, in quibus Mari, Ebla, Ur Chaldaeorum, Uruk, Ugarit et Babylonia earumque praesertim bibliothecae potissimum obtinent locum, nondum erant nec inventae nec effossae. quas has omnes immo civitates exstitisse docti quoque penitus ignorabant: illis enim temporibus una cum Aramaea Hebraeorum tantum lingua, qua Sacri erant Libri conscripti, a doctis noscebatur viris plurimique habebatur.

Hic vero quomodo sint antiquae Semitarum linguae inventae atque interpretatae, quod insuper pondus apud doctos illos viros, qui studiis biblicis conficiendis operam darent, habuerint, brevi dicam aequum videtur. Mirum enim quod facinus initio saltem Anglorum tantum coeptum fuit. In quorum autem numerum, tempore procedente, se cum Germani tum Americani adgregaverunt et quid in amplissima illa regione detexerint neminem latere duco. Ideo hac saltem tempestate A. Henricum Lyard¹⁰, qui primus est in antiquis illis regionibus moratus, memorem oportet. Nam a. MDCCCXXXIX una cum amico, terrestribus viis usus, in insulam Ceyloniam contendere statuit; sed, itinere intermisso, nonnullos colles Assyrios explorare coepit: multis enim annis, quibus est ibi moratus, Niniven et Nemrod in lucem protulit, multa et praecipua documenta invenit, ad XXV tabellarum milia una cum innumeris signis vel lapideis vel aeneis, quae in regis Ninivensis domo invenerat, in Museum Britannicum vehi iussit. Quam multa tabellarum milia sint

⁹ D. FLEISCHER, *Schlözer, Augustus Ludwig von*, in NDB, vol. 23, Berlino 2007.

¹⁰ *L'Épopée de Gilgameš*, a cura di N.K. SANDERS, Milano 1972, p.14. Si quis de re plura scire velit, inseuentes quoque legat paginas, nec non *La Saga di Gilgameš*, a cura di G. PETTINATO, Milano 2004, vel *Introductionem* vel *Postfactionem*, quas S.M. CHIODI curavit.

insequentibus annis effossa, nullus est vir qui proferre audeat, quoniam ita sunt Europaea et Americana Musea repleta, ut numerus penitus ignoretur. De ceteris exploratoribus et archaeologis, ne index longior evadat, silentio invitatus praeterire cogor. Nihilo minus dicam oportet illa multa documenta, in rupibus, in imis imaginibus et in tabellis cretaceis iis inscripta signis, quae sunt postea cuneata dicta, omnia esse fere, innumeris doctis operam dantibus, explorata atque edita. Quibus scriptis cognitis et perlectis, non solum studia biblica et orientalia verum linguarum etiam studium sunt novis argumentis et documentis aucta ac ditata. In iis omnibus linguis, quibus erant tabellae exaratae, Achadicus sermo, cum praecipuus tum temporis haberetur et a multis adhiberetur gentibus, principem obtinet locum. Quam tamen Semitarum linguarum periti, Araborum subacti lingua eiusque formis, parum curant, immo fere penitus ignorant. Quam quidem linguam, cum apud antiquissimos populos Mesopotamicos ad tria millennia potissimum obtinisset locum, praecipuam merito Ioannis Semerano ducit. Nam per antiquam illam linguam, a mercatoribus et viatoribus longe lateque diffusam, omnia fere explanari possunt verba, quae Indoeuropaeorum linguarum cultores ac periti *mediterranea* plerumque vocant. Cur tam docti viri hoc adhibeant verbum, plerumque ab omnibus ignoratur. Mea sententia contra praeclaros illos viros, Achadicam linguam spernentes, illud finxisse verbum puto.

Ceterum exeunte XIX et XX ineunte saeculo, postremae illae tandem iterum loquuntur notaeque pluribus doctis et eruditis viris eadem fiunt linguae. Quae, innumeris exstantibus testibus scriptis, vel ad commercia cottidiana explenda vel ad carmina conficienda vel denique ad epistolas et foedera exaranda, antiquissima illa aetate primae sunt a cultis et eruditis viris adhibitae. Magnum vero atque mirabile est hoc: primas atque antiquissimas ultimas esse detectas et investigatas linguas. Quo est procul dubio factum, ut ab iis, qui linguis comparandis operam dent, tam vetustae et praecipuae linguae parum curarentur, immo nihili, pro dolor, ducerentur.

Indoeuropaeorum autem linguarum normam et scientiam secuti, altera saeculi XX parte, linguarum Semitarum cultores idem sunt iter ingressi; sed docti, cum linguas notas artificiose compararent, sunt ad protolinguae pervenire conati. Quam ipsis quaerentibus et investigantibus, nullum impedimentum est, quo minus ad illum perveniant sermonem et sonos, quibus sint Eva et Adam usi. Ideo eundem repetunt errorem, in quo Indoeuropaeorum linguarum periti versantur. Quorum quidem in manibus Achadica profecto est lingua, quam, cum mentem in Araborum linguam et sonos mentes vertant, parvi vel nihili ducunt.

Hic vero, maioribus prementibus rebus et argumentis, Gratiadeum Isaiam Ascoli¹¹ brevi memorare iuvat. Qui, exeunte XIX saeculo, inter cultores et periti linguarum merito et scientia eminentem habuit locum: primus enim *glottologiam* verbum adhibuit et, cum antiquas linguas vestigaret et doceret, aliquid est unus, quamvis innumera documenta in antiquissimis orientis regionibus effossa ignoraret, Indoeuropaeis et Semiticis linguis respondere censuit. De quo verum, cum recte perspiceret quod iter cum Indoeuropaeorum tum Semitarum linguarum vestigatores pergerent, utriusque disciplinae doctos viros, ut nexum illum considerarent, exhortari non dubitavit¹². Sed solertis viri conata irrita evaserunt, donec Ioannis Semerano, priore saeculi XX parte, sed altera quadam doctrina atque eruditione imbutus, quoniam illa aetate omnes fere Mesopotamicae tabellae erant interpretatae et editae. Quo factum est, ut doctissimus et eruditissimus vir aequum et idoneum iter linguarum vel Indoeuropaeorum vel Semitarum linguarum peritis et studiosis praebere potuit. Cuius quoque conata, quamvis idonea ac praecipua adferat documenta, quae nullo modo confundi vel refelli possunt, sunt ab utriusque partis viris irrita ac vana ducta. Immo qui Indoeuropaeum sermonem vestigant eundemque exstitisse putant, ne praeclari viri nomen audire tolerant, quamvis Iacobus Devoto et innumeri alii sint de re haud paucis dubitationibus capti.

4 De praestanti Ioannis Semerano opere

Ioannis Semerano, omnium longe doctissimus philologus nec non linguarum cum Indoeuropaeorum tum praesertim Semiticarum peritissimus cultor et studiosus, totum fere XX saeculum diuturna percurrit vita: nam Ostunii, quod est antiquum et clarum in Apulia oppidum haud a Bario longe situm, a. MCMXI natus, a. MMV diem supremum Florentiae obiit. Patrio loco relicto, est doctoris gradum adeptus apud praeclaram Universitatem Florentinam, ubi Hectorem Bignone, Georgium Pasquali, Iosephum Furlani, Brunonem Migliorini nec non Iacobum Devoto audivit, quorum doctrinam atque eruditionem, ut decere solebat, semper plurimi duxit. Cum autem in Roma-

¹¹ A. BENEDETTI, *Graziadio Isaia Ascoli nei carteggi con colleghi e allievi letterati*, in «Critica del testo», XVIII (2015), I, pp. 89–125; T. BOLELLI, *Graziadio Isaia Ascoli*, in *Dizionario biografico degli italiani*, Vol. 4, Roma 1962.

¹² G. IEROPOLI, *cit.*, p. 28.

nam Historiam mentem verteret, est a Gaetano de Sanctis captus ac subactus.

Tam doctis et claris professoribus auditis, quod ad linguarum antiquarum studium pertinebat, vel ad Indoeuropaeas vel ad Semiticas linguas, quae priore saeculi XX parte in dies notiores fiebant, pari studio ac diligentia multos annos attendit. Ceterum omnes fere tabellae, in Mesopotamicis regionibus superiore saeculo repertae una cum illis, quas archaeologi in lucem adhuc proferebant, in vulgus edebantur et in illas gentes magnam eruditorum virorum admirationem movebant.

Criticum autem genus magna cum constantia atque aequitate secutus, neutram disciplinam ad vastum animum satisfaciendum idoneam invenit; ideo, veterem Gratiadei Isaiæ Ascoli sententiam amplexus, qui, ut est supra dictum, Semiticas linguas cum Indoeuropaeis contexuit et frustra est doctos hortatus re cultores, ut idoneas perficerent investigationes, inusitatum statuit iter ingredi et certius in dies est hoc iudicium factum: innumeras Indoeuropaeas exstare linguas sed nullo modo Indoeuropaeum exstitisse nec sermonem nec populum; innumera insuper verba, quae alii alio nomine nuncupabant, per antiquam et perspicuam Chananaeorum linguam vel definiri vel explanari posse; antiquas orientis gentes marcatuæ metallorumque inveniendorum causa in illas Europae regiones, quae ad Septemtrionem vertunt, III iam millennio a. Chr. n. pervenisse coloniasque deduxisse; qua de causa factum esse, ut Chananaea verba in omnibus Europae Africaeque septentrionalis regionibus tam innumera exstarent, ut multarum linguarum substratum praeberent.

Ideo idoneis investigationibus et studiis confectis, ad sententiam sua probandam ac firmandam illa verba, *mediterranea* quae vocantur, funditus consideravit et perspexit. Aliis denique studiis perfectis, quod in illis verbis, plerumque ignotis, invenerat, docere et longe lateque diffundere non dubitat.

Cum autem omnia conetur, ut sententiam suam docti audiant funditusque vestigent, nec tamen Indoeuropaeorum nec Semitarum linguarum periti animo et cogitatione se ad recentiora studia convertunt; immo acrioribus animis mentibusque obstinatis iter ingressum per nova inventa ulterius pergere conantur. Quibus tamen perficientibus studiis atque inquisitionibus, utrique se in angustiis esse nesciunt. Cur id fiat, cur Ioannis Semerano vestigia sequi nolint, una ex parte difficile est dictu, altera vero nullus est doctus vir, qui dubitet, quin praeclari universitatum professores se iter parum idoneum ingressos vel Indoeuropaeum sermonem unquam exstiterit negent vel denique se, cum animos in Indoeuropaeas verterint vertantque linguas, in aliquod unquam incidisse palam profiteantur. Quibus omnibus, ut tran-

quilli sint animis, haec repetere iuvat: Ioannem Semerano minime Indoeuropaeas linguas exstitisse aut exstare esse umquam negare vel dubitare ausus; eundem contra Indoeuropaeam linguam, quae nullum documentum reliquit, numquam exstitisse, immo nusquam floruisse; innumera denique, Indoeuropaea quae dicuntur, verba, quorum origines et significatus doctos ac peritos penitus latent, tandem per Achadica lingua solvi atque enodari posse; ficticium illum sermonem, quo quidam docti sunt ad fabulas quoque contendas usi, a nulla umquam adhibitam esse gente; Semiticas linguas contra, quae sunt nuperrime detectae atque exploratae, in tabellis cretaceis innumera ac praecipua reliquisse documenta.

Quibus breviter summamque prolatis, Ioannis Semerano, recentissimis antiquorum orientalium populorum linguis imbutus atque ornatus, infirma indoeuropaei sermonis principia et fundamenta quadam cum facilitate cum refellere tum evertere non dubitat. Doctus autem vir Semitarum quoque linguarum cultores et vestigatores hortari non desinet, ut una cum recentioribus, in quibus Araba principem obtinere videtur locum, Achadicam maxime inquirant linguam. Cum autem omnia conata, ut Indoeuropaeorum et Semitarum linguarum cultores colloquia instituant, irrita evadant, quia utrique se optima esse imbutos doctrina et scientia putent, quidam tamen Indoeuropaeis praesertim linguis docti ac periti, in quibus Iacobus Devoto et Victor Pisani et pauci alii numerari possunt, nova cognita doctrina sed firmis propositis et consiliis servatis, quibus adulescentuli insituti erant, aliqua moventur dubitatione, ut altero quodam modo quae didicerint ac docuerint considerare atque investigare incipiant.

Hic vero silentio minime praeterire possum, quin brevi Iosephum Tucci eiusque memorem coepta. Qui, cum sit optimis rebus institutus et infelicem cum Indoeuropaeorum tum Semitarum linguarum peritorum condicionem cerneret eosdemque, inania defendere omnimodis conantes, in angustiis versari suis ipsius oculis conspiceret, utrosque haud invitus reliquit. Nam doctissimus vir, qui brevi innumeras Asiae linguas didicit, in dies est certior factus cum Europae tum Asiae gentes innumeris et communibus esse rebus coniunctas. Ideo, illa philologia relicta, quam tardae professorum mentes apud praeclaras quoque Italicas universitates docebant, per quam ipsi omnia detegere ac patefacere conabantur, in Tibetanam gentem eiusque linguam, dialectos et mores haud invitus animadvertit. Quo quidem vestigationum et inquisitionum genere tam clarum adeptus est nomen, ut alia, eademque utilia, vel consilia vel coepta frustra cultioribus praeberet mentibus. Iosephus Tucci ad tantum consilium capessendum, mea saltem sententia, iisdem fere ac Ioannis Semerano causis est motus: semel enim atque iterum nimium il-

lud philologorum studium tam acribus sed lucidis damnavit verbis, ut haud invitus ad linguam et litteras Tibetanas acerrimum vertit ingenium.

Hic vero ad Ioannis Semerano opus, ne clarorum virorum doctrina atque eruditio me longius ducat neu taedio lectores adficiat, revertar oportet. Qui, cum compertum habuisset se illam invenisse linguam, idoneam ad multorum verborum significatus detegendos et comprehendendos, innumera in vulgus volumina dedit¹³, quae pauci tantum docti et eruditi viri alicuius ducunt pretii. Tantum opus, cui doctus inquisitor totam vitam acerrimum intendit animum, est in oblivionem adductum, ut perpauci tantum viri, curiositate magis quam scientia et investigatione adducti, magna cum animi voluptate legant et admiratione adficiant. Quod damnum clari isti viri faciant, tolerant et vulgent, fortasse ignorant, quoniam de se suaque doctrina dubitare non audent.

Ceterum paucis annis Ioannis Semerano audacia et doctrina solidum et ingens Indoeuropaei sermonis non Indoeuropaeorum linguarum cultorum aedificium est infirmare sensimque delere conatus. Ad tantum ceptum firmandum, perpauca infra adducuntur exempla, quae, ad deorum clarorumque virorum et mulierum nomina pertinentia, sunt ex priore tantum volumine deprompta. Cetera, quae magni pretii duco et sunt in lexicis contenta, ne gravius hoc videtur opusculum, omitto, sed omnes illos viros, qui eruditionem suam augere et ampliare cupiant, oro atque obsecro, ut illa inspiciant et critica usi ratione verum quaerant et longe lateque diffundant.

5 Antiquam exquirite matrem. Pauca exempla ex Ioannis Semerano opere deprompta

Quadam cum difficultate cetera, eademque praecipua, de Ioanne Semerano sum relinquere coactus, ut alterum laboris genus adgredi possim, quod insuper sit doctus vir iter ingressus et quos sit ipse fructus adeptus, paucis ostendam verbis. Ideo hic nonnullorum verborum significatus una ex parte secundum Indoeuropaei sermonis doctos, altera vero secundum Ioannis Semera-

¹³ G. SEMERANO, *Le origini della cultura europea*, Firenze 2000. Quod opus, in duas partes divisum, alterum sequuntur volumen, in duas partes divisum, quarum altera *Dizionario della lingua greca* altera *Dizionario della lingua latina e di voci moderne* inscribitur, cui haud foruito auctor addidit *Basi semitiche delle lingue indoeuropee*. Utrumque volumen est a. 2000 Florentiae editum. Cetera volumina, quae Ioannis noster edidit, ne index logior fiat, invitus omitto. Quae tamen omnia, si quis tanti viri doctrinam atque eruditionem noscere velit, apud praecipuas Italiae orbisque bibliothecas invenit.

no doctrinam, qui cum Semiticis tum praesertim Indoeuropaeis utitur linguis. Hic vero doctum linguarum Semitarum magistrum magnis nolo extollere laudibus, sed eius doctrinam, quaecumque est et putatur, quantum licet et possum, in propatulo ponere conor, ut utriusque partis periti, turribus eburneis relictis, in quibus laeti morantur, quid reapse Ioannes docuerit, quod iter confecerit et sit doctis linguarum antiquarum viris conficiendum, considerent, ad veritatem et unitatem pervenire possint. Sed utrique se aliquo gradu paulisper moveant, quae didicerint brevi temporis spatio in alteram seponant partem, quae Ioannis proponat considerent oportet. Inter innumera verba, de quibus Ioannis Semerano in libris suis agit, ne index longior evadat, pauca tantum seligo. In quibus primum agam oportet de Alcesti.

Alcestis, Ἄλκηστις, infelix Admeti uxor, pro marito mori voluit. Sed Hercules ob gratum beneficii animum erga Admetum, secundum Euripidis fabulam, mulierem ex inferis in lucem duxit. Frisk, *Gr. Et. Wört.* 69, quem sequitur Steiner apud Snell, *Lex. fr. Ep.* col. 499 huius nominis ex ἀλκή, *vis*, addito suffixo feminino -τι- *Ἀλκη-τις, originem trahit. Idem et Carnoy, *DEMG s. v.*, qui Alcestin *animosam* esse ducit. Reapse, ut memorat Chantraine, *DELG s. v.* ἀλέξω, ἀλκηστής idem est ac *fortis, robustus, strenuus* et adscribi potest ad ἀλέξω, *pello, virtute defendo*. Secundum Weber, *Rhein. Mus.*, 85, 1936, pp. 161-164, gentis nomen, suffixo addito -στ-, cfr. Kretschmer, «Glotta» 27 (1939), ad p. 32, considerandum ducit¹⁴.

Ioannis Semerano contra Alcestin originem Achadicam aperire et denunciare dicit: nam Achadicum verbum *al(û)-kaşati solis ortum* significat. Nomen, ut patet, est ex *alû* vel *elû*, i. e. *surgere* vel *orior*, cum *kaşatu*, *mane, tempus matutinum*. Ἄδμητος vel Ἄδματος Admetus, Ferarum rex et Alcestis maritus, originem ex Achadica lingua *ad(î)da'ummātu, in tenebras, in obscuritatem*. Ceterum apud Ugariticam linguam *adi*, Hebraicam *'ade*, Aramaicam *'ad* significat *donec, super* et *da'ummātu*, i. e. *obscuritas, obscurum*. Nam Admeti mythus originem Semiticam, ut apud Achadicam linguam *adi-mātu, usque ad mortem, moriturus* semper ostendit. Ceterum *mātu* idem ac *mori* est¹⁵. Indoeuropaeorum autem linguarum periti hoc nomen originem ex adiectivo verbali δάμνημι, *domare*, originem trahere et per ἄ- privativum, i. e. *indomitus*, significare docent. Quod, ut par est, minime nec rei nec viro plane congruit.

Neminem autem latet Aiacem, Telamonis filium, fortissimum Graecorum fuisse ducem. Αἴας quoque nomen has praebuit interpretationes: antiquitus

¹⁴ DEMGOL, *Dizionario etimologico della Miologia greca on Line*, www.demgol.units.it 2017, s.v.

¹⁵ G. SEMRANO, cit., vol. I, p.170.

enim docti, ex αἰετός, *aquila*, ut apud Hes. *Fr.* 250, = Schol. *ad Pind. Isth.* 6, 53; Apollod. *Bibl.* 3, 12, 7 legimus, commenticie ducunt. Recentiores contra hoc verbum esse cum αἴα, *terra* comparabile, ut Blumel denique *I. F.* 43, 272 e seq., Chantraine, *DELG*, nec non von Kamptz, *Homerische Personennamen*, p. 168 et Van der Valk, ut apud Snell, *Lex. fr. Ep.*, col. 232 invenitur, et idem esse *terrinus* sive *terrestris*, vel qui esse Aia natum ostendunt. Quidam vero iam apud Mycaenaeos *ai-wa*, ut Kn *Np* 973 legitur, bovini nomen esse ducunt. Alii contra Αἰόλος nomen, *vivus*, ex Inodoeuropaeo **aiu+unt-*, *qui est vi vitali praeditus, vivax*, ut Mühlestein, apud «Studi Micenei» 2 (1967), pp. 41-52; Carnoy, *DEMGR* e von Kamptz, *Homerische Personennamen*, p. 368 invenitur, originem trahere ducunt¹⁶.

Ioannis Semerano contra doctos hortatur viros, ut mentem ad ea, quae sunt usque ad Horatium tradita, mentem vertant, quoniam Telamon Aiace, bello Troiano confecto, domum cum Teucro fratre reverti iubet. Quod, uti patet, est minime factum. Nam apud Achados nomen invenitur et *ubi est frater tuus?* significat, quoniam innumera nomina, ut *A-ia-a-hu-ia* et *A-a-hu-u* inveniuntur; *A-a-ŠEŠ-nu* quoque conferri potest¹⁷.

Omnes Alcmenen, Amphitronis uxorem Herculisque matrem, a Iove corruptam tenera profecto didicerunt aetate. Ἀλκμήνη enim nomen ex radice ἄλκ-, *periculum, hostem pellere, fortis, strenua* significat. Ideo mulier est *strenua* vel *fortis*. Secundum Room, *Room's Classical Dictionary*, p. 37, altera nominis pars ex μῆνις, *ira*, originem trahit et totum nomen *ira potens* significare potest. Quae omnia, ut par est, cum iis, quae sunt vel a fabularum auctores vel a poetarum imaginibus tradita, aperte repugnant¹⁸.

Sed Ioannis Semerano opere inspecto, Ἀλκμήνη antiquorum omnium pulcherrimum est nomen, quia apud Achados *ālik-mēni*, *amoris nuntius* significat. Ceterum nomen est *āiku*, *nuntius*, et *mēnū*, *amare*, compositum¹⁹. Quod, mea saltem sententia, cum Iuppiter ipse tam pulchram mulierem adamaverit, rectius videtur.

Neminem vero fugit Persephones mythus, de quo Indoeuropaearum linguarum peritos, quamvis egregias perfecerint investigationes, aliquid adhuc latet. Nihilo minus quid de hac dea pari doctrina et eloquentia scripserint, haud invitus referam. Persephones, Περσεφόνη, Plutonis uxor, Inferorum ducitur dea. Mythus narrat Persephonen, flores in Nysaea planitie cum aliis puellis colligentem a Plutone raptam et in Inferos ductam, ut mortuorum

¹⁶ DEMGOL, cit., s.v.

¹⁷ G. SEMRANO, cit., vol. I, p. 170.

¹⁸ DEMGOL, cit., s.v.

¹⁹ G. SEMRANO, cit., vol. I, p. 215.

fieret regina. Ceteris relictis, quamvis praecipuis, refertur quid de deae nomine vel nominibus linguarum periti doceant: Latinum nomen Proserpinam, quod ad etymologiam pertinet, incertum esse et obscurum; idem praeterea compositum videri, ut apud Chantraine, *DELG*, s. v. Περσεφόνη legitur; ad quod conficiendum priorem partem ad Περσε- referri posse; quam quidem partem, littera φ distractione ob aspirationem facta, Φερσε-, ut apud Frisk, *Griech. Etym. Wört.*, s. v. Περσεφόνη scriptum legitur; Φερσεφόνη formam, quae primum apud *Hymn. Hom. Ad Demetram*, v. 56, ceterarum omnium fortasse antiquissimam habendam, ut Càssola, commento agli *Inni omerici*, pp. 470-471 putat eandemque solam apud Hesiodum, fr. 185, 4; 280, 12 M.-W., inventam, ab Ehrlich, «*Zeitschr. Für vergl. Sprachforsch.*» 39 (1906), pp. 560-563 quod ad priorem pertinet partem esse ad φέρω, ex *φερσε-, quod contra ad alteram ad radicem Indoeuropaeam *gwhen ductam, unde φόνος, non *internecio, occisio*, cfr. θείνω, ut invenitur apud *Etym. Magn.* 665, 49-50, Παρὰ τὸ φέρω καὶ τὸ φόνος, οἶονεὶ φερσεφόνη, sed *acervus, cumulus*. Quam ob rem nominis significatus *ea quae copiam fert*, ut Hesychii lexicographus s. v. Φερσεφόνηα: ἡ φέρουσα τὸ ἄφενος, τουτέστι τὸν πλῆτον, διὰ τὸν καρπὸν, putari potest. Quod accipi procul dubio potest, quoniam una cum Demetra agriculturae dea ducitur. Ceterae vestigatorum sententiae sunt a Bräuninger, *RE* XIX, 1 (1937), coll. 944-948, luculentius relatae. Innumerarum nominis formarum varietate considerata, Περσεφόνηα, Φερσεφόνη, Φερσέφασσα, Φερρέφαττα praeterire non possum, quin Wilamowitz, *Glaube*, I, p. 108 e da Nilsson, *Griechische Rel.* I, p. 474, memorem. Doctissimus enim philologus ante quam Hellenes regionem occuparent, deae nomen fuisse, nec immerito, ducit²⁰.

Apud Ioannem Semerano contra haec scriptum legitur: deam Περσεφόνη vel Περσεφόνηα Demetrae filiam esse semper habitam; utramque esse a fidelibus vel in Arcadia vel in Messenia vel in Attica vel denique in Sicilia et multis aliisque locis cultam; eandem in principio soli agriculturaeque fuisse deam. Ceterum Περσεφόνη nomen ipsius terrae hypostasis habitum, cuius significatus *terra procreatrix, quae fecundum solum reddit* vel potius *tellus, quae vitam donat*, neminem fugit. Prior enim nominis pars περσε-, quae eadem fuit ac *Persu* apud Etruscos, Acadicum *Persu* nomen videtur, quod *Inferos, divinas potestates* peculiariter significat. Quod tamen nomen Achadicis verbis *persu, finis*, et *wersetu* nec non verbo Hebraico *'eres* Arabico *'ard*, quae *tellus* vel *Inferi* significant, occurrit. Altera vero pars -φόνη vel φονεια nihil est nisi Achadicum verbum *bānû*, , quod significat *mater, crea-*

²⁰ DEMGOL, cit., s.v.

tor, ex verbo Achadico *banû*, idem est ac *creare*. Cuius femininum est *ban-tu*. Quod Achadico verbo *banû* vel *banîtu* occurrit et *pulcher* vel *propitius* significat. Quibus summatim prolatis, Persephonen, pulchram Demetrae filiam, *pulchram Inferorum reginam* significare nos Ioannes Semerano docet²¹.

Dionysus, Διώνυσος, vini et mysticae exstasis deus, Iovis et Semeles fuit filius, ut apud Hesiodi *The.* 940-942 scriptum invenitur. Secundum Indoeuropaeistae dei nomen apud antiquos Mycaeneos cum Iove in insula Creta sociatur, ubi in urbe, quam Khanià appellabant incolae, nomen *di-wo-nu-so* dativum praebet casum et genetivum Pyli, quae clara fuit Messeniae urbs. Haec apud L. Godart e Y. Tzedakis, *Les nouveaux textes en Linéaire B de la Canée*, “Riv. Filol. Istr. Class.” 119, 1991, ad paginas pp. 143-47. Prior autem nominis pars est genetivus et caelum apud antiquos Thracos denotabat. Quae pars plerumque ad patris nomen Δι-#ος refertur. Altera pars contra multo difficilior videtur et apud Thracos filii nomen esse potest, ut in loci nomine Νῦσα et in nympharum nominibus Νῦσαι et Νυσίαι inveniri non dubitant (Chantraine, *DELG s.v.*, Kretschmer, *Einleitung*, pp. 241-43). Nec plane recipiendum est quod Carnoy (*DEMGR*) asserit, quoniam doctus vir nomen ex Indoeuropaeo sermone **sneud, sneudh*, “fluere”, cum transferatur *s-nud-io > nuzo-*, originem trahere putat. García Ramón (“Minos” 20-22, 1987, pp. 183-200) priorem nominis partem Διο- nihil aliud esse nisi δίς-, id est *bis*, ideo *bis puer*, esse docet, quoniam deus, ut apud Euripidis *Bacchas* legitur, puer est bis natus²².

Ioannes Semerano contra de tanti dei nomine aliud scribit ac docet. Nam secundum doctissimum magistrum prior nominis pars Διο- apud Achadicam linguam *diš’u* ver denotat. Quod ad alteram nominis partem -νυσοῦς memorandum est Nysam, locum ubi deus est nymphis a Mercurio assignatus, ut est acute interretatum, feracissimum fuisse locum, aquis et nemoribus et fontibus ornatum. Quae omnia ostendit Νῦσα nomen, quod apud Achadicam dialectum *nuḥša* et *nuḥšu* et terrae *fertilitatem, ubertatem* nec non *feracitatem* significat. Quam ob rem Διώνυσος nomen idem est ac *copiae* vel *multiplum florum deus*.²³

Haec hactenus, quamvis innumera eademque utilia adduci exempla possint. Hic tamen paucis referam oportet de quodam et praecipuo conventu,

²¹G. SEMRANO, cit., vol. I., pp. 251-252. Si quis de Demetra plura noscere cupiat, legere potest paginas 196-199.

²²DEMGOL, cit., s.v.

²³G. SEMRANO, cit., vol. I., pp. 202 s.

cui Ioannes Giraldi una cum multis, iisque doctissimis, viris et mulieribus linguarum Indoeuropaeorum peritissimis interfuit ipse. Amici et magistri sententias non ut ipse exposuit sed arbitrio meo, innumeris rebus omissis, infra referam. Mensa argentaria Mediolanensi favente a. MCMXCIX Mediolanum praecipuus est conventus indictus, cui *Le Radici prime dell'Europa. Gli intrecci genetici, linguistici storici* titulus.

Tantam autem nacti occasionem in miram et magnam Italiae septentrionalis urbem vel mythorum vel archaeologiae vel geneticae disciplinae vel linguarum cum Semitarum tum Indoeuropaeorum periti praeclari convenerunt viri. Inter conventum est sive de linguarum monogenesi sive de polygenesi, de linguarum familiis, cum de Africanarum tum Indoeuropaeorum linguarum vi erga Europaeorum gentium mores et instituta. Maxima cum animi attentione est acris inter Mariam Gimbutas et Andream Colin Renfrew dissertatio audita. Uterque Indoeuropaeorum linguarum cultores ac periti, sed altera ab altero innumeris de causis differt: clara, enim, mulier Europae historiam in duas partes dividit, quarum prior, multo antiquior ducta, mulier potissimum habuit locum. Qua quidem aetate gentes *deas matres* coluerunt, quarum imagines nimias ob formas et vetustatem hominum excultiorum animos adhuc alliciunt. Altera vero recentior est et populorum Indoeuropaeorum migrationibus vastata. Quo quidem tempore, mulieribus subactis, homines principem obtinuerunt locum, bellatores ferream securim adhibebant et equum continuoque a IV ferme millennio a. Chr. n. in alium migrare locum coeperunt. Andreas Colin Renfrew contra de pacificis est migrationibus locutus. Agriculae enim, Anatolia relicta, usque a VI millennio a. Chr. n. pacifico more in aliam contendebant regionem. Quae gentes, cum patrias relinquerent sedes, secum agriculturam ferebant, per quam Europaeorum gentium novaverunt vitam. Quae clarus vir dicere potuit, quoniam perpauca ante annos in Anatolia antiquissimus erat detectus pagus, qui fuerat ad VII millennium a. Chr. n. conditus. Quibus summatim relatis, Indoeuropaeas et Semitas gentes inter se convenisse et quandam societatem fecisse neminem fugit. Sed Ioannes se abstinere non potuit, quin Angelam Marcantonio eiusque memoraret opusculum, quod, Anglica usa lingua, *Evidence that most Indo-European Lexical reconstructions are Artefacts of the Linguistic Method of Analysis* haud inscia inscripsit. Quo in opusculo praeclara mulier haec prorsus secum quaerit utrum accepta ad exemplar aptemus, an exemplar ita fecerimus ut ad accepta aptemus. Nam clarissima ac doctissima mulier non dubitat, quin maiorum phoneticarum legum nulla adhuc accurata confirmari ratione ideoque plerasque congruentias atque aequalitates esse vulgo constitutas, quas immo non esse nec aequalitates nec congruentias,

sed quadam cum probabilitate illas quadam similitudinis possibilitatem ostendere. Quod quidem assertum, ut par est, haud paucas et parvas Indoeuropaeorum linguarum peritis difficultates praebet. Ceterum Angela Marcantonio, cum subtile atque exactum radicum Indoeuropaeorum lexicon inspexisset, quod Helmodus Rix comparavit atque edidit, haud pauca et incongruentia notavit et in vulgus protulit. Nam maxima radicum pars ex unius vel duorum verborum, exiguus tantum numerus ex trium vel plurium linguarum oritur analysi et comparatione. Huc accedit, quod nimia normarum copia, ad sonos vocumque pertinens, nec non alia accidentia, ad declarandam atque explanandam unuscuiusque normae exceptiunculam, facit, ut honestus vir, qui reapse linguas vestigare atque inquirere velit, putet omnes illas normas eo esse consilio repertas, ut radices Indoeuropaeae sint secundum illas normas fictae. «Sed hac tempestate», invitus Ioannes Giraldis dixit, «perpauci tantum docti viri, qui reapse vera inquirent veraque docere cupiunt, doctos Angelae Marcantoni libellos cognoscunt mulierisque vestigia sequuntur. Quae cum Ioannis Semerano memoraret et meditaretur, illam mulierem, alterum ingressam iter, ad eandem metam pervenisse adfirmavit. Sed haud pauci linguarum Indoeuropaeorum cultores, cum omnes se veritatem et scientiam possidere ac docere ducant, doctae mulieri officiunt, obstant, resistunt. Quo quidem modo vel scientiam vel investigationem vel denique veritatem necant seque miseros esse sciolos nesciunt».

Haec hactenus. Cum sim multa eademque praecipua ommittere coactus, ne sermo longius me ducat, illos omnes, qui rem et argumentum penitus cognoscere velint, hortor, ut illum doctum et laboriosum Iosephi Ieropoli legant libellum, de quo est supra actum, et in unumquemque peritum, cuius sententiam doctissimus investigator singillatim refert, mentem vertat et animum eius ditet doctrina. Quo perfecto, videat ac meditetur ipse, quodnam sit iter sequendum, ut ad veram doctrinam perveniat.

Hic denique omnes linguarum tum cultores tum investigatores tum denique peritos invitare audeo, ut frequenter in unum conveniant et exponant, quid reapse, investigatione idoneis instrumentis perfecta, invenerint. Si enim ipsi, ut vel Ioannes Semerano vel Ioannes Giraldis sperabat ac favebat, veritatem reapse invenire ac docere velint et cupiant, antecepta animo rei quadam informatione seposita, conventum edicant, in quo apertis verbis unusquisque libere quid sentiat exponat et quod iter, ad veritatem detegendam, sit pergendum, nullo rubore ostendat vel pudore.

Horatius Antonius Bologna